

ob avaritiam captiuos à Persarum rege minimo redimeret. Ob id in eius caput conspiratio facta à militibus, & Phocas Imperator designatus est, à quo etiam Mauritius cum tota sua prosapia, Constantia vxore, Theodosio, Tyberio, & Constantino filiis, totidemque filiabus, Chalcedone interemptus est, cùm imperasset annis x x. vixisset L X I I I. Vir utilis Reip. & victoriosus, nisi avaritia labefactasset se, & totam domum. Magnæ etiam patientiæ & fortitudinis exemplum. Cùm enim in conspectu suo, vxor, tres filię, & filii interficerentur, forti animo perferens tantam calamitatem, exclamauit: **IUSTVS ES DOMINE, ET RECTA IVDICIA TVA.**

In hoc Numismate conspicitur victoria alata dextra Crucem, sinistra ramum ferentes, addita inscriptione huiusmodi: **VICTORIA AVG. CC. H.** Infra: **CONOB.**



**CONSTANTINA**, Tyberii & Anastasiæ filia, Mauriti Imperatoris vxor, ex quo peperit tres filios, Theodosium, Tyberium, & Constantinum, totidemque filias, qui omnes simul cum patre à Phoca occisi sunt.



**PHOCAS** Præfectus Scythiæ, per Mauriti cædem, à scelerato